









1679.

1. Gubernus, Joh. Mauritius : Πρωτα juris per *Isos*,
ἕκαστος, Causas, rationes, loca parallelas, naturalia,
et axiomata exposita.
2. Gubernus, Johann Mauritius : De probationibus in iudicio
appellatioms rite instituentis
3. Gubernus, Johannes Mauritius : De nobilitate
4. Matthiae, Victorium W. Chelms : De consuetudine I. R.
imperii utriusque juris.
5. Meier, Johannes Heimericus : De protocollo iudiciali.
6. Reuring, Johannes : De petitione renovatioms
investiturae vultu vna vna *Lehen*, *Simung* und *Lehen*
Matthaus.
- 7^a Rivinus, Augustus Septimus : Maritus heres mobilis
secundum iura Saxoniae delineatus

8. Lode, Johann Hermann, a., Felus, perantiquae unives.
n'tatis Erfordienfis rector ac facultatis iuridicae
aclarum hodie, ut et collegii Senatus Decanus: omnia
hinc a academiæ nostrae proceribus, ac civibus
iurisque tam publici, quam privati cultoribus s. p. d.

1678.

1. Bantz, Albertus Henricus: Disputatione
2. Brueckner, Georgius Henricus: Disputatio inay. iuridica,
continens partes duas, priorem, protheoriam juris et
posteriorum illius specierum, posteriorem, theoriam
pertinens
3. Greshofius, Henricus Wilhelmus: De interpellationibus.
4. Lilien, Melchior Rudolphus: De rei vindicatione
5. Lipsius, David: Antipathia singularis sive de
naturali sed instabili cibi et potus fastidio, et
abstinentia discretior

6. Matthiae, Petrus Wilhelmus: De honestis necessariis

7. Lendorff, Joannes Bonifacius: De officiis juristicis

8. Zippel, Henricus: De fessibus collybiticis vultu
a, b, c, d.
v. Weibel. Briefen.

1679.

1. Kuvre, Joh. Rodericus: De actione impensoria et
negatoria

2. Koenig, Johann Victor: De quiete jurisdica

3. Krent, Michael Henricus: De utriusque contractuum
materia

4. Matthiae, Petrus Wilhelmus: De inducitis moratoris

5. Matthiae, Petrus Wilhelmus: De Translationibus evan-

gelica

6. Peylschmidt, Karl Heub: De Advocatis eorumque
officio in bene constituta republica vultu
necessario

18.

CONSL

per 9

Vin

DN

.U. D.

ini Col

Facu

JO



1940.

DISPUTATIO¹⁴ JURIDICA
DE

5

1677 5
PROTOCOL-
LO JUDICIALI,

QUAM

DIVINA ANNUENTE GRATIA

Permiffu atque autoritate Ampliffimæ Facultatis
Juridicæ Erfurtensis

SUB PRÆSIDIO

VIRI NOBILISSIMI, CLARISSIMI ET
CONSULTISSIMI

DN. JOHANNIS HEINRICI
MEIERI,

J. U. Dr. ejusdemque Prof. Publ.

Domini Patroni, Fautoris & Hospitis fui
etatem de venerandi

Publicæ *δημοφιλέως* difquifitioni fubjicit

AUCTOR

BALTHASAR Hanneman / Grimâ - Mifn.

In Collegio Scholæ Juris

Die 22. Maji (1. Junii) Anno M. DC. LXXVII.

ERFURTI,

Typis Michaëlis.

s.



AMPLISSIMO

Inclytæ Civitatis Grimmenfis

SENATUI,

VIRIS

AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,
CLARISSIMIS, SPECTATISSIMIS
ET PRUDENTISSIMIS

DNN.

CONSULIBUS, PRÆTORI-
BUS, ÆDILIBUS, SENATO-
RIBUS ET ASSESSORIBUS,

PATRONIS, MECÆNATIBUS AC
FAUTORIBUS MAXIMIS AVITER-
NUMQVE COLENDIS

Hasce Pagellas Juridicas

offerre

devotus Cliens

AUCTOR.



PROLEGOMENON.

Cum omnis rei tra-
 ctatio, si non nuga-
 toria, certis inclu-
 denda sit limitibus
 ac ordo, (juxta Aristot. &
 Anaxagor.) prout formo-
 sissimam mundi molem à
 chao, ita etiam scientias &
 artes saluberrimas à perni-
 ciosa & fidissima errorum
 matre, confusione scilicet,
 distinguat, *Francisc. Piccolomin. in*
Introduct. ad 10. gradus Philosoph. Civ. c. 14.
pag. 28. Ne autem hæc detesta-



ta confusio judiciis benè
constitutis sese immisceat,
inventæ sunt PROTOCOLLA,
in quibus res coram iudice
& assessoribus gestæ ordi-
ne annotantur; De libris
proinde illis, quos Proto-
colla dicimus, videtur su-
peresse tractandi causa, cū
sparsim quidem à multis,
peculiariter autem vix ab
aliquibus fuerint propositi:
Operæ ergò pretium me
facturū hariolor, si isthoc,
quicquid est, materiæ, pro
ratione temporis & ingenij
tc-

tenuitate elaboratum, pu-
blicæ Eruditorum censuræ
subjecerø. Nihil autē in de-
sideriis oppidò seriis alerem
magis, quàm si huic labori
partim, partim verò aliorū
desideriis per omnia satis-
facere possem. Hoc vero à
me nec expectandum esse;
cū subtilitas materiæ, tū
ingenii tenuitas, si non obi-
cem ponit, sufflamen ta-
men objicit. Cū verò in
magnis vel voluisse sat sit
ipsam rei arcem sine ulteri-
ori verborū ambage aggre-
dior, sequenti usus voto:

A 3

T 16

Tu Deus alme, precor nostris allabere captis,
Ludat ut in placido cymba profecta salo!

D. B.

SECTIO I.

De
Origine & Derivatione Protocolli
Judicialis.

§. 1.



Quoniam sine methodo facile confusio sequitur, boni ordinis ergo, qui in jure præsertim laudabilis est, *Cagnol. de R. J. in rubr. n. 4.* discursus à tractatione nominalium initium sortiatur, non propterea, quod velim verbosam Disputationem conscribere, sed quod ut plurimum solenne sit disputantium, ne statim illotis manibus ad ipsius rei penetralia progressum faciant, quin potius nomen atq; definitionem evolvant.

§. 2. Quamvis autem hic non mens sit, de Protocollo in genere, sed de eo tantum, quod in judiciis obtinet, & Protocollum judiciale vocatur, in presentiarum pro ingenii tenuitate agere, tamen prius, unde nomen Protocolli descendat, nosse oportet.

§. 3. Varii variè in ejus originem inquirere conantur, quoniam autem recentioris ævi vocabulum est, adeò, ut nec in Digestis nec in Codice reperiat, itaq; non displicet derivatio Protocolli, quam suppeditat *Guid. Pancrol, Thesaur. var. lect. lib. 1. cap. 26. in fin.* ubi Protocollum quasi primum chartæ collum dictum putat. Character enim extremitati superiori chartæ impressus erat, qui designabat, legiti-

legitimam hanc chartam esse, cui Instrumenta inscriberentur. *Add. Viglius ad §. Nihil autem interest Inst. de Testam. ord.*

§. 4. Juxta communio-rem autem opinionem hoc vocabulum merè Græcum est, & compositum ex voce πρῶτος primus & κόλλα, quod gluten sive glutinum denotat. *Didac. Covarruv. Pract. quest. cap. 19.* Unde κόλλα glutino.

§. 5. Ut inde πρῶτοκόλλον sit prima concinnatio seu conglutinatio scripturæ, quæ postea meliorem elaborationem vel extensionem desiderat; Id enim, quod antiquitùs in glutine vel cerâ, quæ per tabulas extensa erat, scribebatur, Protocollum fuit appellatum *Jac. Blum. Process. Cam. Tit. 63. n. 3.* Germanis: der Entwurf; vel vocabulò Germanorum Curiis perinde frequentatò, das Project, das Concept.

§. 6. Alterum Protocollum verbum appositum, nempe Judiciale, cuius notum, brevitatis causa siccò transeo pede.

SECTIO II.

De

Definitione Protocollum Judicialis.

§. 1. Antequam autem Definitionem Protocollum Judicialis aggrediar, prius nos informari patiamur, quòd istud sumatur vel latè vel strictè.

§. 2. Illò modò continet omnia Protocolla, quæ à iudice, Assessoribus, Actuariisq; seu Proto-Notariis, conscribuntur.

§. 3. Strictè verò illud Protocollum Judiciale dicitur, in quo omnia in iudicio gesta ab Actuario, aliòve cui id negotium in iudicio specialiter commissum, succinctè annotantur, & de hóc, quod est succincta Actorum judicialium ab Actuario facta consignatio. Germ. Ein Gerichts-Buch/ Gerichts-Protocoll, in presentiarum agere mei est instituti.

SEC-

SECTIO III.

De

Speciebus Protocolli Judicialis.

§. 1. Ut autem confusio circa Protocolla Judicialia evitetur, primùm considerandæ sunt species Protocolloꝝ, quæ judicialium nomine vulgariter venire solent.

§. 2. Siquidem in Camerâ Imperiali Spirensi quod præcipuum in Imperio nostro iudicium est, vel summum Imperii Consistorium *Gail. lib. 1. Obs. 42. n. 3. & Obs. 84. n. 5. Reinking. de Regim. Secul. & Eccles. lib. 2. Clasf. 2. cap. 14. n. 23.*

§. 3. Inveniuntur enim ibidem I. Protocolla Assessorum Cameræ, in quibus ipsi Assessores annotant suas relationes, & decidendi rationes, ob quas Processus extra-judicialiter petitos decreverint, & quid in Senatu alioquin peregerint *D. Jac. Blum. Process. Cam. Tit. 63. n. 5.*

§. 4. II. Occurrunt Protocolla Proto-Notariorum, in quibus Proto-Notarii vel Notarii omnes sententias in Camerâ publicatas conscribunt, unâ cum nominibus Assessorum ac motivis, ex quibus sententia ita concepta. *Blum. Proc. d. t. 63. n. 7.*

§. 5. III. Protocolla Proto-Notariorum; in quæ sententias in priori Protocollo cum rationibus conscriptas, in mundum redigunt, ita tamen, ut Assessoribus has sententias in mundum redactas de novo prælegant, ut error evitetur. *Ord. Cam. P. 1. Tit. 28. §. ferner sehen/ &c.*

§. 6. IV. Protocolla omnium sententiarum, in quæ omnes sententiæ per integrum annum conceptæ, ab Ingrossistâ s. Notariô ad id destinatô rediguntur, & postea in Camera asservantur. *Ord. Cam. d. §. Ferner &c.*

§. 7. V. Protocolla judicialia, in quibus dictata & gesta in iudicio à Notariis conferuntur, quò postea super illis decretum formari possit. *Ord. Cam. P. 1. Tit. 28. §. Weiter daß alles fürbringen &c.*

§. 8. VI.

§. 8. VI. Protocolla Actorum, quæ ex Protocolis judicialibus in diversis causis promiscuè in Audienciis dictata continentibus, separatim ad suam quamcunq; causam conscribuntur inter sententiis in illa causâ latis, *Blum. Process. Cam. d. 2. 63. n. 11.*

§. 9. Verùm, misis hisce Protocolorum speciebus, ad Protocolla Judicialia in specie sic dicta, & in nostris judiciis observari solita me converto.

SECTIO IV.

De

Personis Protocolum conscribentibus

§. 1. Persona conscribens Protocolum judiciale dicitur Actuarius, qui Germanicè exprimitur *der Gerichschreiber* / sub quo intelligitur omnis Secretarius, qui ad id officium legitime vocatus est, ut universa Judicii acta excipiat, & legitime conscribat. *Georg. Schulz. Prob. Judic. P. 1. cap. 8. n. 2. seq.* Qui in Judiciis superioribus vocatur Proto-Notarius. In aliquibus judiciis in specie Protocolli ita dici solet.

§. 2. Quoad personam autem Actuarii requiritur inter alia, ut sit juratus, *Fulv. Pacian. de Prob. lib. 1. c. 65. n. 27. Berlich. P. 1. Concl. 8. n. 18. Philipp. Observ. 2. n. 5. ad Decis. Noviss. 38. Elect. Sax.* Cùm enim Protocollo ab ipso conscripto fides adhibenda, non sine juramenti religione ad hoc officium admittendus.

§. 3. Et hoc juramentum jure Saxonico præstandum est in subditorum præsentia, quò in posterum eò magis juramenti præstiti memores sint *Carpz. P. 3. Decis. 201. n. 30. & 34.*

§. 4. Requiritur insuper nonnulli ad personam Actuarii, ut sit Notarius Publicus Cæsareus, & variis nituntur sententiam suam confirmare argumentis; quicquid autem sit, non tamen illorum rationes tantæ sunt, ut evincant, in omni judicio Actuarium necessariò esse debere Notarium, potius in castra contrarium statuentium, nempe non opus esse, ut sit Notarius, experientiâ comite conscendo.

B

§. 5. Cre.

§. 5. Creditur enim illis, quæ ab Actuario in Protocollo relata, non quia Notarius, sed quia ad hoc officium cum jurisjurandi religione in specie admotus; Fides ergò ipsi habenda de his, quæ in officio suo gerit. Et si aliter diceremus, etiam in Judiciis Illustrioribus Proto-Notarii aliive Actuarii deberent esse Notarii Cæsarei, cui tamen experientia refragatur.

§. 6. Instrumenta præterea judicialia ab Actuario juratò confecta nil minus fidei habent, quàm à Notariis confecta, teste *Carpz. d. Decis. 201. n. 26.* Hinc & in ipso Electoratu Saxoniz præcisa illa necessitas novâ Decisione rejecta, & libertas, an Notarium, an verò etiam personam legalem Actuarii officio adhibere quis velit relicta, quod cuivis inspicienti *Decis. 38. §. weil wir auch &c.* facillimò negotiò patefiet. *Add. Dn. Joh. Philipp. ad d. Decis. 38. Obs. 2. n. 44. & seqq.*

§. 7. Quod tamen in causis Civilibus intelligi velim, secus se res habet in Criminalibus, ubi majori cautelâ, circumspeditione & sagacitate opus est, ibidemq; Notarius, qui insimul sit solenniter creatus Notarius Publicus, necessariò adhibendus, aut Actuarius, si talis non sit, Notarius insuper Publicus ei adjungendus, vel etiam Notarius requisitus juramentò judicio, ad hoc negotium dirigendum & registrandum, devinciendus est per verba *d. Decis. 38. §. Jedoch ist solches &c. conf. Dn. Joh. Philipp. l. c.*

SECTIO V.

De

Modo conscribendi Protocollo.

§. 1. Modum conscribendi Protocollo suggerit *Dn. Carpz. Proc. Tit. 2. Art. 4. n. 47. & seqq.* ubi dicit: Quod Actuarius Judicialis cavere debeat, ne sinistram præbeat de se suspensionem, per quam fides labefactetur, quod

quod faciet, si non propriâ manu scribat & inserat actis, quæ in iudicio sunt confirmanda. *Fulv. Pacian. de Probat. Vol. 1. cap. 65. n. 39.* Ex quo enim industria suæ personæ est electa; nequaquam per Amanuensem suum, aliumq; substitutum id poterit expedire, nisi auctoritate judiciali amanuensis ille ad hoc sit confirmatus. *Felin. in c. quoniam 11. n. 4. in fin. X. de probat.*

§. 2. Deinceps requiritur, ut Actuarius nihil Protocollo inscribat sine prævio jussu iudicis; Actuarius enim totus à iudice dependet. *Brunnem. ad Wesemb. Tit. de fid. instrument. quest. 14.* Sed cum distinctione hoc acceptandum est, nimirum, quæ in iudicio ordinariè occurrunt, hæc Protocollo inserere potest citra illud speciale mandatum iudicis; sufficit enim, quod à iudice generaliter ad hoc officium deputatus sit. *Berlich. P. 1. Concl. 8. n. 23.* Et quæ extra ordinem in iudiciis occurrunt, hæc mandatum iudicis expectabit.

§. 3. Porro requiritur, ut Actuarius fideliter ac ordine omnia in iudicio acta conscribat in Protocollo, nec quicquam, quod ad ipsam rem pertinet, emittat. Sic conscribere debet Citationes, Dilationes &c. uti hæc ordine enumerat *Pontifex in c. Quoniam 11. X. de Probat.* Et quod præcipuum est, tempus & personas annotare debet. *Beust, ad l. Admonendi 31. n. 829. ff. de iurejur.*

SECTIO VI.

De

Contentis Protocolli Judicialis.

§. 1. Quanquam in Civilibus causis sufficiat, substantialia causæ in Protocollo annotasse, nec opus, omnia litigantium verba conscribere; In Criminalibus tamen causis plenissimè omnia verba, præsertim delinquentium conscribenda.

B 2

§. 2. Et



§. 2. Et id quidem duplici modò. (1.) Ut quantum fieri potest, verba formalia inquisiti retineantur, ne ex verborum immutatione sensus pervertatur. (2.) Ne qualitas responsioni annexa, aliudve à reo ad sui defensionem prolatum omittatur; sed singula momenta diligenter & exactè consignentur. *Carpz. Prax. Crim. P. 3. Quest. 113. n. 53.*

SECTIO VII.

De

Effectus Protocolli Judicialis.

§. 1. Præcipuus Protocolli judicialis effectus consistit in eo, quod in probando plenam fidem faciat, sicuti hec in specie von denen Gerichts-Büchern concludunt. *Dd. Matth. Berlich. P. 1. Concl. 36. n. 18. Carpz. P. 3. Decis. 201 n. 23. Besold. Thesaur. Pract. voc. Gerichts-Acta, Joh. Köppen Decis. P. Quest. 46. n. 16. Schulz. Proc. P. 1 c. 8. n. 6. & alii plures.*

§. 2. Quæ sententia in jure quoque fundata, Gesta enim, quæ sunt translata in publica monumenta, perpetuam habere debere firmitatem decisum in *l. fin. C. de Re judic.* In publica verò monumenta transferre nil aliud est, quàm Protocollo inferere. *Conf. l. Censur 10. ff. de Probat.*

§. 3. Porrò, uti scriptura ex Archivo desumpta fidem facit publicam *auth.* ad hec *C. de fid. Instrum.* quare non æqualem fidem meretur Protocollum publicum? Publicam enim judicis auctoritate id conscribitur, à personâ perinde publicam & juramentò speciali ad id obstructam.

§. 4. Hinc instrumentum registratum ad Acta, vel Protocollo insertum, probatur per illud Registrum vel Protocolum, etiamsi originale sit deperditum: Non enim de hujus fide dubitandum, quod publicam fide in Protocollo redactum. Nam & hoc Actorum Publicorum nomine comprehenditur *Beust. ad l. admonendi 31. n. 803. ff. de jurejur. & Actorum fidem habet. Dn. Mev. ad Jus Lubec. lib. 5. Tit. 6. Art. 1. n. 2. in fin. & n. 13.*

§. 5. Ex

§. 5. Ex hisce traditis haud incongrua oritur quaestio An, ut Protocollum probet, recognitione opus sit, & an contra illud admittenda sit jurata diffessio? De Jure communi utrumque negatur *arg. l. 10. ff. de Probat. l. 11. C. qui pot. in pign. dar. Menoch. de arbitr. jud. Quest. lib. 2. Cas. 113. n. 8. Rutgers. Ruland. de Commissar. Part. 2. lib. 5. c. 39. n. 22. Berlich. P. 1. Concl. 44. n. 31.*

§. 6. De Jure verò Saxonico Instrumentorum publicorum, & per consequens Protocollum producti recognitionem opus esse tradit *Carpz. lib. 3. Respons. 82.* idq; praesudicium tam Senatûs Appellationum, quam Scabinorum Lipsiensium confirmat.

§. 7. Alterum membrum quaestionis quod concernit nempe quòd jurata diffessio in Instrumentis publicis coram iudice confectis de Jure Sax. non habeat locum, nec admittatur ad jurandum, si is, contra quem producuntur, ea jurato diffiteri velit *vid. idem Carpz. in Proc. Tit. 14. art. 3. n. 48.*

§. 8. Ut autem Protocollum publicam probandi vim consequatur, necesse haud est, ut partibus publicetur; Fides enim Protocollo debetur, non quia partibus publicatum, aut Protocollum copia data, sed quia negotium publicè Judicis autoritate ac Actuarii fide in Protocollum relatum.

§. 9. Opponunt quidem nonnulli, quòd attestations & depositiones testium partibus absentibus Protocollo insertae, necessariò partibus sint publicandae ob textum in *c. cum causam 31. X. de testib.* Ubi si attestations sint clausae, id est, partibus nondum publicatae, testes iteratò produci possint, & sententia non publicatis attestatis lata nullitatis vitio laboret.

§. 10. Verùm enim verò verior eorum sententia videtur, qui statuunt, etiam attestata testium Protocollo inserta, plenam fidem facere, quamvis publicata non sint. Absurdum enim foret, quòd ille actus publicationis, qui non respicit fidem testium, sed fit propter aliud, scilicet ad partium notitiam & instructionem, augere debeat vel minuere fidem & testium & Actuarii, si ipsa originalia attestatio-

B 3

num

. Ex



unum alioquin sint perfecta & absolutā, ut tradit ex Decio
ad c. causam quest. 4. X. De Testib. Nicol. Everhard. de fid.
Instrum. cap. 6. n. 55. §. Pro qua sententia &c.

§. 11. Facit huc & sequens ratiocinatio: Quod atte-
stata ita partibus communicentur, uti in Protocollo reperi-
untur; quod si ergo partibus communicata fidem faciunt,
illam antè habuerint necessum est, quò iudex hoc factò pu-
blicatione scilicet, attestatis fidem dare nequit, quam ipsa
antè non habuerunt, vid. Dn. Samuel Strykius, J. U. D. &
Professor Ordinarius in Academia Viadrina in Disp. de Jure
Protocolli.

§. 12. Nec quicquam in contrarium faciunt superius
adductæ rationes; Dicimus enim publicationem attesta-
torum necessariam esse, non ut probationis fidem conse-
quantur, sed ut partium jura conserventur, & ipsis defensio
non adimatur. Hinc sententia non publicatis attestatis lata,
quam publicationem partes desiderabant, propterea nullita-
tes vitio inculari solet, quia partibus defensio ita videtur
denegata.

§. 13. Ex his omnibus luculenter apparet, nullam fis-
dem attestatis ex publicatione conciliari, sed saltem parti-
bus ita consuli, ut hinc Protocollo indistinctè sua illibata
stet autoritas.

§. 14. Quando itaq; Protocollum ritè & plenè est con-
fectum, tunc ei major fides adhibenda, quam iudici diver-
sum quid à Protocollo decernenti. Ruyger, Ruland, de Com-
missar. P. 2. lib. 5. c. 6. n. 15. Imò tamdiu standum erit Pro-
tocollo, licet testis dicat, se aliter deposuisse, ac in Protocollo
ab Actuario consignatum, usq; dum testis errorem suæ
depositionis probaverit, de quâ probatione vid. Dn. Brun-
neman. Proc. Civ. cap. 20. n. 75. Quamvis enim fidem fa-
ciat Protocollum, tamen contrariam erroris probationem
non excludit, Dn. Mev. P. 1. Decis. 120. n. 3. Ruland, de
Commissar. d. c. 6. n. 21. lit. T.

§. 15. Si itaq; negotium legitimè Protocollo insertum,
tunc concludendum est, Protocollum unius iudicii & instan-
tiæ,

riæ probare etiam in alio judiciò, aliave instantiâ. *vid. supra laudat. D. Strykius in Disputat. de Jure Protocolli.*

§. 16. Ex prædictis haud levis momenti oritur quæstio: Si quis Protocollum suis defectibus laborans falsum dixerit, an propterea injuriarum teneatur? Et distinguunt leges, Aut sine necessitate hoc opponitur, eòq; in locò, ubi tale quid opponere non licebat, vel ab illâ persona, cui officii ratione id monere non incumberebat; Aut ex necessitate ad ipsius opponentis defensionem, qui fortè ex Protocollo illo, quod falsum dicit condemnandus erat. Priori casu ab injuriarum actione immunis non erit, cum nec veritas convitiij excuset *l. 28. ff. de injur. Et ibi Dd.* Posteriori verò casu non habet locum actio injuriarum; Defensio enim favorabilis est, nec præsumitur animus injuriandi in eo, qui se defendere voluit. *arg. l. 14. §. 6. ff. de bonis libert. Conf. Caspar. Manz. in Decis. Palat. Quæst. 72. n. 7. seqq.* ubi in specie hanc de Protocollo quæstionem decidit.

SECTIO IIX.

De

Editione Protocolli judicialis.

§. 1. Certum est Protocollum edi debere sive causa Civilis sit, sive Criminalis, quo exinde veritas negotii investigari possit *l. 2. C. de edendo. modò interesse petentis appareat. Brunneinan. Com. C. d. l. 2.*

§. 2. Et non solum Actuarius, sed etiam tertius, ad quem fortè venerit Protocollum ad illud edendum compelli possunt, hâc tamen limitatione, ut Actuarius non cogi possit, ut ostendat Protocollum, nisi ad præceptum Judicis *Jafon. in l. fin. C. de precib. Imper. offer. Rebuff. in Pract. p. 982. lit. C.*

§. 3. Non omnibus tamen indistinctè Protocolli editionem petentibus Protocollum edendum est, sed iis tantum, qui ad minimum juramentò suum interesse docere possunt. *Pacian. de Probat. lib. 1. cap. 65. n. 88.* Nunquam enim aliter *instru.*

instrumenta publica alicui eduntur, nisi de Interesse petentis
constiterit *Rutger. Ruland. de Commiss. P. 2. lib. 5. c. 19. n. 16.*
Schuff. Cent. 2. Conf. 33. Brunnem. in l. 2. C. de Edendo.

§. 4. Deinde Protocollum edendum Judici. Si enim
à iudice inferiori ad superiorem appellerur, copia Protocollum
transmitti debet *Brunneman. Proc. Civil. cap. 8. n. 61.* In
Saxonia verò benè receptum, quò sumptibus parcat, ut
appellanti non detur copia actorum, sed ipsa acta in origi-
nali, quibus Protocollum s. Registratura in originali adjan-
genda. Plura hanc de re qui desiderat, adeat Saxoniae nostrae
Ulpianum Dn. Carpz. Proc. Tit. 18. art. 5. n. 82.

§. 5. Et tam in Civilibus quàm Criminalibus causis
Protocollum edendum est. Tamen & hoc remediò in Cri-
minalibus uti potest iudex, ut Advccato inquisiti, quamvis
ipse reus non desideraverit, propriò motu offerre debeat fa-
cultatem inspiciendi Protocollum & acta judicialia, ut inde
excerpat, quae necessaria putaverit ad defensionem rei, ne
scilicet reus maneat indefensus per *l. 19. ff. de Poen. & ibid.*
Dd. Conf. Brunnem. in Process. Inquisitor. cap. 8. membr.
3. n. 18. Carpz. Prax. Criminal. Quest. 115. n. 101.

§. 6. Ulterius Protocollum non saltem semel edendum,
sed toties, quoties id pars aliqua desideraverit, & ni-
hil interest, in qua parte iudicii editio petatur, semper enim
partibus hinc salvus esse debet recursus monet *Pacian. de Pro-*
bat. lib. 1. c. 65. n. 109.

§. 7. De sumptibus ad editionem Protocollum, quis eos
suppeditare debeat, non magna est difficultas; Nota enim
in Praxi est regula: Omnis actus in iudicio expediendus,
expediri debet sumptibus petentis. *Brunnem. Rep. Wesemb.*
Qu. 36.

§. 8. Et sic Chólophonem impono huic meo labori, o-
ptarem, ut Tibi B. L. tuæq; expectationi ex asse satisfacere
& hoc opusculum exactius elaborare valuissem; Cùm verò,
gravitas & difficultas materiae vires ingenii (quod ingenuè
fateor) superaverit, hisce, quod spero magnopereq; rogo,
vivas contentus, omniaq; in medium prolata, bonò animò
suscipias, & lapsus, quos in materia hanc pro locorum diver-
sitas

firmitate subinde variante, committere facillimum fuit, & quod
interpretaris. DEO interim gratias persolvo debitas pro
praestito suo auxilio; adspiret ille porro studiis meis, & fa-
xit, ut haec, uti jam sunt incepta, ita & continerentur in ipse
us nominis gloriam & proximi utilitatem!

COROLLARIA.

1. *Judex officio Auctuarii quoque fungi potest.*
2. *Agnatus in Oppignorationem Feudi con-
sentiens, eò ipso, etiam non subsequuto con-
sensu Domini, quando Feudum ad ipsum
devolvitur, ex suo assensu creditori ad-
strictus est.*
3. *Matri in bonis liberorum non competit
ususfructus, sicut Patri.*
4. *Feudum aliquod in dotem dari potest.*
5. *Clerici & Ministri Ecclesiae perinde ac
Laici mediante juramento ad testifican-
dum sunt compellendi, adeò ut nullus hæc
in re dispensare queat.*
6. *Interesse ultra alterum tantum peti pos-
sunt.*
7. *Maritus est Dominus rei dotalis.*
8. *Qui equum ad servitia militaria mit-
tere promissit, non tenetur illum instruere
ornamentis.*

C

Qui

Qui digestorum discussit *et* *et* librorum,
Quiq; frequens volvit tradita Judicii.
Et qui de rebus, de hypothecis, & redhibendis
In multis legit scripta Voluminibus,
Empti-qui novit Contractum, & Venditionis:
Et Curatoris qui grave novit onus.
Qui trajectitios nummos, qui fœnora novit,
Testes qui validos, qui documenta fori
Qui legata tenet, testandi & Cætera jura,
Is Protocolli themata ritè tenet.

Ornatissimo Dno Balch. Hannemann,
Jurium Studiose de Protocolis
disputanti gratulatur

GEREON MOLITORIS Dr.
Juridicæ Facultatis Geranæ p. t. De-
canus & Senior.

Haut sine laude *fidem Actorum* defendis
acutè,
Hinc Tibi mox cedat *Judicis* officium,

sic

Nobilis^{mo} & Claris^{mo} Dn. Hanneman,
J. V. Candid. Advocato ac Commen-
sali suo dilecto
feliciter ominatur

PRÆSES.

NOBI-

NOBILI ET CLARISSIMO
DN. BALTHASARO HANNE-
MANNŌ,

Cognato suo dilectissimo,

S. P. D.

Q Valem TE hactenus, Cognate per dilecte, in excolendo studio Juridico tam quoad Praxin, quam quoad Theoriam praeberis, testatur non tam Judicium illud, cui Ego p. r. praesideo, quam specimen eruditionis Tuae praesens publicum; Illud est testis exhibitae Tuae vigilantiae dexteritatisq; in causis Clientum tuorum, quibus hactenus conaen inserviisti felicissimo, hoc scilicet effecit Tuae à teneris assuetae diligentiae, quae nunc gaudere poteris. Gaude ergo tanto bono, gaude Tuo labore, & quod facis, perge protinus inquirere in obscuriores & rariores Juris materias. Atq; hinc summa omnia nobis non immerito promittimus de Te, qui & morum decore & candida vultus venustate omnium favorem facile in Te convertes. Gratulor ex animo insigne hoc specimen, fausta omnia ac prospera in futura studiorum spatia apprecans, Vale.

Dabam ex meo Museo

d. 12. Maji 1677.

Tuus

JOHANNES Reusing / J. U. Dd.

Err Schwager jetzt hat Er/ da sein Fleiß Ihn aufgetrieben/

Und diese Schrift gesacht/ ein doppelts Lob erlangt/
Darinnen Er auch steht/ und in guten Muthe prangt:
Zu erst wenn Er sich hat/ Themis ganz und gar ergeben
Auch einkig nur bey Ihr/ suchet seine Lust und Leben;
Hernach/ wann auch sein Fleiß/ sich durch offne Schrif-
ten weißt/

Was sey ein Protocoll: wie's gestält: und was es heist.

C 2

Fort/

Sort / sucht das dritte auch ! Sechtet wohl für eure
Schriften/

So wird Apollo selbst / Euch schon wissen was zu stiften/
Er hat schon euren Fleiß / in sein Protocoll geschrieben.

Seinem Herrn Schwager wolte mit
wünschender Feder hiermit
eilig bedienen

Gotsfriedt Sorgenfrey / Pfarrer
in Seebach und Adjunctus.

DUm meditabundô vultu sic differis aptè
Gratulor, ac ausis lætor, Amice, tuis,
Lætor, & ut celsô de Cœlo JOVA laborem.
Huncce, precor, largâ prosperitate beor.

*fidias evena cum antiquo
Feliciter !*

Amicâ scribebat manu

JOHANNES GEORGIUS Duncffel/
Pastor in Oppershausen.

DUm, quid judicii sint acta, probavit,
acumen
Et decus ingenii sat dedit ipse sui.


*paucula hæc
Nobilis. & Claris. Dominis
Hannemanno, J. U. C.
adjicere voluerunt ejus*


Systici.

F I N I S.

(X2618056)







1940. DISPUTATIO¹⁴ JURIDICA DE 1677 5

PROTOCOLLO JUDICIALI,

QUAM

DIVINA ANNUENTE GRATIA

Permisse atque autoritate Amplissimæ Facultatis
Juridicæ Erfurtensis

SUB PRÆSIDIO

VIRI NOBILISSIMI, CLARISSIMI ET
CONSULTISSIMI

DN. JOHANNIS HEINRICI MEIERI,

J. U. Dr. ejusdemque Prof. Publ.

*Domini Patroni, Fautoris & Hospitis sui
etatem de venerandi*

Publicæ *Σεμιοφιλῶν* disquisitioni subjecit

AUCTOR

BALTHASAR Hanneman / Grimâ - Misn.

In Collegio Scholæ Juris

Die 22. Maji (1. Junii) Anno M. DC. LXXVII.

ERFURTI,

Typis Michaëlis.

